

& Filius Dei omnes liberavit, qui est benedictus in secula. Vir autem iste Aurelianus post pauca annorum curricula defunctus est in pace VII. Kal. Junii. Observans Beati Petri Chrysologi præcepta, non declinavit ex eis. Aedificia verò domus inconsummata reliquit. Sepultus est in Ecclesia Apostolorum juxta Ambonem non longè à tumulo ubi Beatus requiescit Neon, antequam à nobis Neonis corpus ad Sedem, translatum fuisset. Sedit autem Annos....., Menses..... dies.....

OBSERVATIONES

AD VITAM

SANCTI AURELIANI.

Pomposiani Monasterii initia an hic indicentur. Etas Agnelli hæc scribentis, & in aliud tempus reliqua differentis. Aurelianus Hormisdæ synchronus.

I. *P*auca de Aureliano Petri Junioris successore tradit hic Noster, pauca etiam habent Recentiores. Habemus tamen unum, quod Historiam juvent, initia videlicet celeberrimi Pomposiani Monasterii, ut sentit Notarum Auctor. Monasterium nihilominus Aureliani tempore constructum

A affirmare certò non ausim, qui sciam Monasterii nomine ab Agnello Ædem Parociam non habentem intelligi, ex dictis alibi. Ædem potius tunc edificatam censeo, cui postmodum Monasterium accreverit post D. Benedicti ætatem. Ambiguum etiam est, an Agnellus de Territorio Comacensi loquatur, quali suo tempore, an prout Aureliani ævo fuerat, in quo Bajarum, & Ignis loca. Porro Padum veterem vocat, quem Volana dicunt. Comaclum, Cymaclum dicit Rubens, Urbemque antiquissimam laudat à Pelasgis conditam. Ignis, & Bajas Idolorum esse nomina notat Agnellus, at Idola hujusmodi aliunde mihi ignota. De Pomposiano Monasterio infra ad Agnelli continuationem nonnulla adjiciuntur.

B **II.** Ex iis, quæ de ætate sua habet Noster, agnovi supra in Observationibus ad carmina operi præfixa circa annum 839. Aureliani Vitam, cum præcedentibus consignasse. Reliqua in tempus posterius distulit, ut ex ibi adnotatis constat; & quod instantis Comprehensorum pressus minatus fuerat fecit, reliquit videlicet opus imperfectum. Interim ne Aureliani Vita cæteris brevior videretur adjecti proxiam satis, rudemque exegestim ad psalmi versiculum; tu siccasti fluvios Ethan.

III. Quod ad Aureliani ætatem pertinet, Hormisdæ Summi Pontificis tempore Is sedit. Reliqua incerta sunt, quæ tamen ex parte, dicendis in subsequentiis non parùm illustrabuntur.